DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

IMPERATORIS LEGEM VNIVERSALEM IN IMPERIO ROMANO-GERMANICO FERENDI POTESTATE,

QVAM

EX DECRETO ET AVTHORITATE

MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS,

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO

DN. TOBIA JAC. REINHARTH,

JCTO, SACRI PALATII CÆSAREI COMITE, JVRID. FACVLT. ASSESSORE, AC PROFESS. COD. PVBL. ORDIN. CIVITATIS SYNDICO AC CONSVLE,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES AC NOBILIA PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE AC LEGITIME CONSEQVENDI,

IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE ERFORDIENSI,

PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI

LOCO HORISQVE CONSVETIS

SVBMITTIT

AVTHOR

JO. CHRISTOPHORVS SPITZ,

Eichsfeldiaco-Stadworbianus, Advocat. Regim. Erford.

DIE XXVIII. NOVEMBRIS M DCC XXXI.

ERFORDIÆ, Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII, Acad. Typogr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM.

CUm Imperiorum, Regnorum, Rerumpublicarum, Principatuum, verbo totius terrarum orbis florem, tranquilitatem, ſalutem ac ſtabilitatem in legum conſiſtere authoritate, quæ ſi ſubvertatur, omnes omnino Reſpublicas langueſcere, atque ad inevitabilem declinare ruinam, neceſſariæ eſſe conſequentiæ, in aprico ſit; hujus in juſtâ per ponderatione ad præfatam authoritatem condignè deprædicandam, de lege publicâ ejusque ferendæ poteſtate in noſtro Imperio Romano-Germanico præ-

Digitized by Google

ſentem hanc diſſertationem meam inauguralem conſcribere reſolvi; & quamvis hæc materia propter varias hinc inde abeuntes publiciſtarum claſſes difficultatibus ſatis ſit innodata, ut ad eas enodandas ac reſolvendas non unius induſtria ſufficere videatur, veruntamen ex illâ animo meo ineradicabiliter innatâ devotione erga leges earumque legislatorem ſtimulatus, calamum meum de eâ movere non erubui, & ut mente concepta orbi erudito disquirenda darem, ea in duo capita diviſi; *in primo* quidem capite, ut â generalibus ad ſpecialia deveniam, de ipsâ lege publicâ, de ejus definitione, diviſionibus ac proprietatibus, *in ſecundo* autem de poteſtate legem univerſalem ferendi in Imperio noſtro Romano-Germanico tractabo. Quæ diviſio, ſi benevoli Lectori unâ cum elaboratione minus bene placuerit, haſce primitias in publicum editas ſciat, noveritque ideo indulgere.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT I.

De lege præſertim publica ejusque definitione, diviſionibus ac proprietatibus.

§. I.

LEx ſecundum etymologiam nominis ab eligendo â cauſa efficiente, ratione verò ſubjecti â ligando derivata, ſumitur vel pro pacto *tot. tit. ff. ad leg. commiſſ.*, quo ſenſu hîc non venit, vel pro jure â ſupremâ poteſtate dato, & in hac ſignificatione eſt regula â Superiore præſcripta, ſecundum quam noſtras actiones dirigere debemus. Diſpeſciturque, omiſſis aliis ad inſtitutum meum directò non facientibus diviſionibus, in publicam & privatam ratione objecti ſeu finis, reſpectu enim cauſæ efficientis ſive authoritatis, omnis lex in ſenſu proprio accepta eſt publica, & ſic ſumpta eſt ordinatio rationis ſummæ poteſtatis authoritate directò in utilitatem publicam promulgata; quæ definitio ut magis eluceſcat, ſingula ejus membra & verba veniunt examinanda. *Imo* enim dicitur *ordinatio rationis*, ad indigitandum in juſtâ legis ſanctione hoc eſſe obſervandum, ut intellectus præhabito ratiocinio, rationes & motiva voluntati repræſentet, quibus perponderatis legem communitati obſervandam decernat. *IIdo directò in utilitatem publicam;* ut differat â lege privata, quæ tantùm ſecundariò publicam utilitatem, felicitatem ac tranquilitatem reſpicit, quo ita

Definitio præſertim legis publicæ.

commune bonum per actus omnium ac ſingulorum civium obtineatur, ſi enim omnibus civibus in particulari, quod lex privata intendit, bene ſit, toti Reipubl. malè eſſe nequit. *IIItio Summæ poteſtatis authoritate*, ut indicetur legem â ſuprema poteſtate ordinari in ſubditos, nam non ſubdito, aut pari in Imperio vel Majori lex ferri nequit, cum hìc deficiat coactio & ſubjectio; ubi tamen, ſi lex feratur ſubdito exiſtenti in territorio, nil intereſt, ſive materia legis concipiatur â ſolo eo, cui ſumma hæc poteſtas legislativa ineſt, ſive ab aliis *puta* conſiliariis, modo â ſuprema Majeſtate confirmetur, ac ipſius authoritate promulgeatur. *§. 6. de conc. ff.* ubi Imperator JVSTINIANVS dicit: omnia noſtra facimus, quibus authoritatem noſtram impertimur. *IVto promulgata*, & quidem univerſalis in omnibus provinciis, lex enim non promulgata non obligat, *arg. C. 3. diſt. 4. & l. 9. C. de ll.* Licet etiam quis ſciat eam mox eſſe promulgandam, cum enim promulgatio ſit de ratione legis, ante eam nullam vim habere poteſt, non obſtante legis conceptæ ſcientia, hæc namque, privata cum ſit, nullum dat ei vigorem.

§. II.

Diviſio legis publicæ.

Ad legis publicæ diviſionem ut transgrediar, eſt alia publica abſolutè talis, alia reſpectivè talis; *illa* non reſpicit Imperantes & parentes, ſed unam gentem ad aliam, nihilque aliud eſt quàm ipſum Jus gentium, quod uſu & humanis neceſſitatibus exigentibus gentes ſibi conſtituerunt, *§. 2. Inſt. de J. N. G. & C.* de quo mihi ſermo non eſt. *Hæc* pro objecto habet Imperium, Regnum &c. ab Imperante ſubditis data; ſic datur lex publi-

publica Romano-Germanica, Gallica, Hiſpanica, &c. quarum quælibet, quid pro flore ſui ſtatûs ſit, intendit, extra limites enim nullus illarum eſt effectus, cum, ut in phyſicis dicitur, nulla cauſa agat ultra ſphœram ſuæ activitatis. Subdividiturque, quod ſit vel Monarchica vel Ariſtocratica, vel democratica, prout nimirum cujuslibet regni facies eſt. Cum autem de ſola lege publica Romano-Germanica agere mei ſit intenti, dico: hanc denuò duplici ſumi ſenſu, nempe publicam reſpectu totius Imperii omnia ejus membra ſubdita, mediata & immediata ad ſui obſervantiam obligantem, & particularem reſpectu alicujus territorii, quæ non, niſi illos ſub ſtatûs Imperii Jurisdictione territoriali viventes concernit; & eſt vel ſcripta, vel non ſcripta, *illa* eſt expreſſa ordinatio â ſuprema poteſtate in noſtro Imperio ad ſtatum, ſeu ad adminiſtrationem & conſervationem totius principaliter pertinens lata, conſiſtitque in A.B. CAROLI IV. *in RR. Imp. Capitull. Imp. in Inſtrum. pac. profanæ & religioſæ &c. Hæc* non ſcripta eſt, quæ absque promulgatione moribus utentium tacito ſeu legali legislatoris conſenſu accedente introducitur, quam in rebus ſcripto non comprehenſis pro regula ſequimur, vocaturque praxis, uſus, obſervantia Imperii Reichs-Herkommen, Herbringen oder Gebrauch, *Ord. Regim. 1500.* §. item es ſoll ſub tit. Wer die Steuer der Geiſtl. einbringen ꝛc. *Rec. Imp. 1542. §. 17. & 127.* & hæc ultima duo membra de Jure publico Imperii particulari in ſenſu accommodo quoque dici poſſunt. Sic enim Cameræ Aſſeſſores jurant ſe judicaturos ſecundum laudabiles Principatuum conſuetudines *Ord. Cam. p. 1. tit. 57.*

§. III.

§. III.

Proprietates legis publicæ.

Hujus legis publicæ proprietatum quaſdam ut nunc attingam; *prima* eſt, quod obliget ſubditos etiam in conſcientia, hoc ſiquidem ſat ponderoſi & clari, tam in ſacro, nempe *ad Roman. 13.* quam ſæculari codice *l. 1. in pr. C. de V. J. E.* evincunt textus, in verbis: Omnis poteſtas eſt â Deo, & legum condendarum facultatem Deus dedit Principibus; absque eo enim ſi ſubditi ad obediendum in conſcientia non eſſent obſtricti, felicitas, bonumque commune continuò periclitaretur. hoc verò de lege in meris præſumtionibus aut conjecturis fundatâ, aut quæ purè pœnalis eſt, adſtruere vereor. *IIda* quod lex publica eâdem authoritate quâ conſtituitur, quoque tollatur, abrogetur ac limitetur, authenticamque recipiat interpretationem, licet etiam lex hâc formulâ: in perpetuum valiturâ lege ſancimus, feratur, veruntamen cum tempora mutentur, circumſtantiæ & rationes varientur, ceſſentque in totum, quod facillimè fieri poteſt, quia legislator humanus non futurum, ſed modo humano præſens tantum reſpicit tempus, eique congruas accommodat leges, legem abrogandam, imo per ſe ceſſare, dictitat ratio, cum ratio legis ſit anima legis, ſine qua vivere nequit. *IIItia* quod vigor ejus & obligandi poteſtas ad territorii limites ſit reſtricta, nec extra illud quempiam obligare poſſit per *C. 2. de conſt. in 6.* ubi Judici in competenti impunè non paretur, hinc ſi quis nec phyſicè, nec moraliter, ſeu neque quoad perſonam, nec quoad bona ſit ſubditus, neutiquam ad legem obſervandam tenetur. *IVta* denique illa eſt, quod lex prohibens ſit ſimul

etiam

Digitized by Google

etiam annullans actum *L. 5. C. de LL.* ubi quæ contra Jus fiunt, non ſolum inutilia, ſed etiam infecta habentur, licet legislator fieri tantum prohibuerit. Modo tamen 1) actus prohibitus ad majora mala evitanda non ſuſtineatur. 2) propter ſe, non ob qualitatem ſubſtantiam ejus non concernentem ſit vetitus. 3) irritationis non ſit incapax. 4) Non detur remedium â jure ad actum reſcindendum, vel alia pœna in transgreſſorem ſtatuta, tunc enim actus eſt validus. Quæ omnia exemplis ex jure deductis longè latèque confirmari poſſent, ſed ne in generalibus æquo ſim longior, brevitatis ſtudio, cum non Commentarium, ſed diſſertationem in publicum dare mentis ſim, me converto ad ſpecialia, & quidem ad Principalem diſſertationis meæ quæſtionem, de qua erit

CAPUT II.

Quisnam in Imperio noſtro Romano-Germanico univerſalem legem publicam ferendi poteſtatem habeat?

§. I.

QUæſtionis hujus deciſio, ut ad rem ſtatim deveniam, dependet ex præjudiciali illa quæſtione: an ſtatus Imperii noſtri ſit Monarchicus, an Ariſtocraticus? etenim illum popularem non eſſe extra controverſiæ aleam eſt, quà deciſâ ſuá ſponte fluit, quis nam legis publicæ univerſalis ferendæ poteſtate gau-

Qualis Status Imperii noſtri.

Digitized by Google

gaudeat. LIMN. *de Jur. publ. tom. 1. lib. 1. Cap. 10. n. 12. & ſeq.* adſtruit mixtum ſive Ariſtocraticum, cui adhæret ARNIS. *lib. 2. Reb. polit. C. 6.* inquiens: *Uno verbo concludo, hodierni Imperii Statum eſſe mixtum ex Ariſtocratiâ & democratiâ, ita quidem, ut Ariſtocratia præponderet.* OLDENBVRG. LIMN. *illuſt. l. 1. C. 8. n. 3. & ſeqq. item in additionibus additionum 9. ad dict. C. 8. Sect. 1. n. 4. & 7.* aſſerit: cum pleraque imo lautiora & potiora Majeſtatis jura univerſis ordinibus ſimul competant, nec ſolius Imperatoris arbitrio ac dictaturæ relicta ſint, vel ſole meridiano clarius hinc eſt ac evidentius, Majeſtatem Imperii eſſe penes ordines univerſos, atque Ariſtocratiam in Germanorum Republicâ prævalere. Quid? quod, BODIN. *de Republ. l. 2. c. 1. n. 181.* tam temerario auſu, ut, ſi eſſet ſubditus Imperii, utique criminis læſæ Majeſtatis reus eſſet, adoritur Imperatoriam Majeſtatem, cum dicere non erubeſcat: formam Imperii ita eſſe Ariſtocraticam, ut ne ſimulacrum Monarchiæ inibi adhuc adſit; & utinam hic, qui foris eſt, ſolus eam ſententiam tueretur, nec ſubditos Imperii, ſi non in eandem calumniam, ſaltem in eandem ſententiam ſecum traxiſſet! Rationes eorum pro Ariſtocratia facientium ut referam, omiſſis tamen illis, quas plumbeo etiam pugione confodibiles affirmat *Nobil. Dn.* DANIEL OTTO *Diſſert. de Jur. publ. C. 7. p. m. 106.* & præcipuè ſunt illæ, quibus BODIN. & LIMM. *illuſt. dd. ll.* utuntur, ad ordines Imperii ſupra modum extollendos, & ſolium Imperatoris ſupprimendum, moventur

§. II.

Rationes pro Statu Ariſtocratico.

1.) Quod Graviſſimus Elector Moguntinus, tum, cum

cum ageretur de eligendo Rege Romanorum ad recuſandum FRANCISCVM Galliæ Regem hac ad reliquos Electores illuſtriſſimos eorumque legatos uſus ſit adhortatione: ne ei decus Imperii conferrent, quia ipſius fortitudo Monarchiam reſpiceret, cum in Imperio Ariſtocratia ſit retinenda. quod teſtimonium â primâ Imperii columnâ, ejusdem Archicancellario & Illuſtriſſimi Collegii Electoralis Decano Sufficiens pro Ariſtocratiâ ſtabiliendâ jactitant fore argumentum. 2.) quia Status Imperii Jus ſuum non privativè, ſed cumulativè in Imperatorem transferunt, ut ita ſint pares, & Semiſſem cum Imperatore habeant ſecundum CARPZ. *ad l. Reg. Sect. IX. C. 13. n. 11.* quod exinde afferunt clareſcere, eo quod 3.) Proceres Summi Imperii non ſint nudi conſiliarii Imperatoris, ſed ipſa etiam Majeſtate fulgeant; cum ſe Dei gratiâ regere profiteantur, legibus ſua territoria pro arbitrio gubernent, collectas imponant, Jus vitæ & necis in ſuos habeant, in ipſos committatur crimen læſæ Majeſtatis A. B. *C. 24.* 4.) allegant, quod Imperator irrequiſitis ſtatibus nequeat bellum Imperii nomine indicere, pacem pangere, aut collectas univerſales imponere *Inſt. pac. Weſtph. Capitul. Leopol. & Carolin. Art. 2.* aliquem in Senatum Imperii admittere, mox dicta Capitul. CAROL. VI. *art. I.* Statum Imperii banno plectere, *Leopol. Capit. art. 28. Joſeph. 27. Carol. 20.* Jus ſeſſionis adimere, vel ſuſpendere, *cit. capit. Joſeph. art. 3. & Carol. art. 20.* Jus monetam cudendi concedere, *ult. dict. Capit. art. 9.* Imperii bona diſtrahere, *capit. Joſeph. art. 12. Carol. 10.* nec vectigalia exigere, aut telonia erigere ſine conſenſu Electorum, *R. I. Ratisbon. de*

Digitized by Google

anno 1576. §. Weiters ſeind *116. ibi* daß etliche Stände *& Capitul. Caroli VI. art. 8.* 5.) aſſerunt, quod invictiſſima Imperatoris Majeſtas non ſit Dominus, ſed tantum Adminiſtrator Imperii, pro cujus affirmatione varios adducunt Receſſus, ac inprimis *R. I. de 1559.* ubi FERDINANDVS I. *in pr.* ait: Er habe ſich mit der Bürde der Adminiſtration und Verwaltung des Heil. Reichs beladen. quod idem de ſe confitentur MAXIMILIANVS I. *in pr. R. I. 1512.* & IIdus ejusdem nominis *in pr. R. I. 1566.* hujus autem fundamentum præcipuè in eo collocant, quod 6.) non Imperator ſolus, ſed cum proceribus creet ſupremum in Imperio Magiſtratum, nempe Judices cameræ Imperialis. *Ord. Cam. de Anno 1495. 1500. in pr. & 1555. p. 1. tit. 1.* §. nemlich wollen ꝛc. *3. & tit. 2. §. fin.* nec 7.) gaudeat jure ſupremæ provocationis, cum vel plane non ad ipſum, vel ad cameram appelletur *Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. 1.* imo 8.) Electores ſtatuunt eſſe cum Imperio potiores ipſo Cæſare, cum illi ſint cauſa Imperatoriæ Majeſtatis, illud quoque ſit prius, Imperator autem, utpote propter Imperium exiſtens, ſit poſterior. 9.) denique gloriantur in eo, quod ſtatus in particulari non tantùm ſubſint Cæſari, verùm etiam Imperio, eique fidem debeant. Jurant enim dem Röm. Kayſer und Reich ꝛc. vid. R. I. *1521. in pr. & paulo poſt ibi:* Darauf befehlen Wir bey den Eyden und Pflichten, die ihr Uns von des Reichs wegen inſonderheit gethan, item R. I. *1530. tit.* von Ziegeunern. Quibus præ memoratis rationibus Monarchomachi invincibiliter ſuam ſententiam vallatam eſſe ſibi blandiuntur. Verum

§. III.

§. III.

Rationes pro Statu Monarchico.

Non obſtantibus his plauſibilibus & in ſuperficie multùm apparentibus ratiociniis, rejectâ etiam illâ opinione, quod noſtrum Imperium ſit Monarchicum, ſed Ariſtocraticè mixtum, ita tamen ut Monarchiæ lumen clarius appareat, quam ex politicis principiis edoctus CARPZ. *de l. Reg. Germ. C. 13. ſect. 9.* cum *aliis ibi n. 10. citatis*, item HORN. *Jur. publ. Cap. 15. §. 6.* tuentur, mihi videtur probabilius dici poſſe Statum Imperii noſtri eſſe purè Monarchicum, ut ſubſcribam ſententiæ eorum, qui Solium Imperatoris debito modo venerantur, nec, ut ſtatibus adulentur, eis, quod non tenent, tribuendo, fucoſis utuntur argumentis; inter quos eſt REINK. *de Reg. ſæcul. & Eccleſ. lib. 1. Claſſ.* 2. *C.* 2. HERM. *Faſc. Jur. publ. C. 3. n. 31.* HORTL. *de cauſ. Bell. Germ. lib. 1. c. 18. & lib. 3. c. 30.* ANT. COLER. *tom. 2. diſp. de Jure publ. aliique citati ab* ARNIS. *de Republ. C. 6.* Rationes ſunt ſequentes: 1) ubi penes unum tanquam ſupremum Reipublicæ caput non recognoſcens in terris ſuperiorem ſe, reſident jura Majeſtatis, ita ut vi horum omnibus & ſingulis, etiam ſub pœnâ imperare poſſit, ibi eſt Monarchia; hoc Adverſarii ipſi fatentur. atque hæc omnia de noſtro Imperio dici queunt, ergo. Conſequentia per ſe patet. *Primo* Imperator Solus poſſidet Jura Majeſtatis per legem Regiam â populo in ipſum translata, quæ nullibi deprehenduntur ei adempta, ita ut de præterito ad præſens bona ſit illatio, cui tamdiu inhærendum, donec contrarium evidentiſſimè probatum, cum res in eodem cenſeatur manere ſtatu, & ſemper pro poſſeſſore ſit præſumendum *C. 66. de Reg. Jur.*

in

in 6. *Secundo* eſt ſupremum caput, pro quo etiam ab omnibus extraneis potentiis ſine contradictione agnoſcitur; neminem in terris ſupra ſe recognoſcit, uti communi Septemvirorum decreto Anno Chriſti 1338. publicato adverſus pontificem BENEDICTVM XII. pronunciatum; ſuam poteſtatem gubernandi habet â Deo; nullius hominum ſubjacet Imperio. *tertio* omnibus & ſingulis ex plenitudine poteſtatis imperat, uti videre eſt in *Ordin. pac. profan. Wormatiæ 1521. in pr.* ibi: Entbieten allen und ieglichen unſern und des Reichs Chur-Fürſten ꝛc. unſern und des Reichs Unterthanen, *item ead. Ord. Tit. XXI. §. 4. ubi* CAROLVS V, ita alloquitur Imperii Status: darauf befehlen wir allen und ieden obbeſchriebenen, euch auch hiermit aus Röm. Kayſerl. Macht, bey denen Eyden und Pflichten, die ihr uns von des Reichs wegen inſonderheit gethan, und bey der Gehorſam, die ihr uns, als Röm. Kayſer ſchuldig ſeyd, auch bey Verluſt aller Gnaden, Privilegien und Rechten, ſo ihr von uns und dem Heil. Röm. Reich oder ſonſten habt, daß ihr dieſen obgeſchriebenen Frieden, und unſer Geboth mit allen Articulen und Innhalt ſtett und feſt haltet. His fundamentis aſſertum meum tam clarè & evidenter ſtabilitur, ut adhuc plura pro hujus confirmatione, quæ habentur *in Receſſ. Imp. 1530. §. 72. in Reform. polit. dict. ann. tit. 25. §. fin.* adducere non ſit neceſſarium. 2) Imperator eſt omnium ſtatuum Dominus clementiſſimus *R. I. 1512. pr.* quod tam ex aliis Receſſibus, quàm quotidianâ praxi addiſcere licet, cum ſe in omnibns literarum & ſupplicationum ſubſcriptionibus ſubjectiſſimos ſine hæſitatione profitean-

tur.

Digitized by Google

tur. 3) Homagii præſtatio ex parte recipientis ſuperioritatem, ex parte verò præſtantis ſubjectionem involvit, & hujus exactio ac præſtatio eſt teſtimonium omni exceptione majus, probatioque probatiſſima, nec non Superioritatis inſigne, & teſſera infallibilis vocari ſolet. HERT. *de ſubj. territ. §. 16.* KNIPSCHILD. *de Jur. & priv. civ. Imp. l. 2. c. IX. n. 17.* KNICHEN. *de Jur. territ. C. 3. n. 278.* BESOLD. *Theſ. pract. verb.* Frey Reichs-Ritterſchafft, *verſ. eſt teſtimonium*, atqui Status Imperii non tantum vaſallagium, ſed etiam homagium præſtant, HORN. *ad Jus feud. C. 13. §. 5.* qui hoc ex formulâ Juramenti cognoſci poſſe dicit, dum ſcil. jurant: Daß ſie der Röm. Kayſerl. Majeſt. dem Heil. Röm. Reich getreu, hold, gehorſam und gewärtig ſeyn, &c. ubi dictio gehorſam importat ſubjectionem. *ultimo* tenentur Imperii principes Imperatori poſt Deum rationes reddere *R. I. Spir. 1529. §. 3. in fin.* Wie ein ieder ſolches gegen GOtt und ſeine Majeſtät gedencket zu verantworten. plura ut hic omittam, clarior & luculentior pro Monarchiâ militans confirmatio elucebit ex reſolutione contrariorum, hæc ſiquidem juxta ſe poſita magis eluceſcunt. itaque

§. IV.

Reſolutiones argumentorum contra Statum Monarchicum.

Oppoſita ut nunc reſolvam argumenta, quæ habentur ſupra hujus diſſertationis *pag. 11. & 12. ad Imum* in quo Oldenb. maximum nervum & immobilem aſſerti ſui baſin collocat, quod miratione dignum, cum Electorem nomine ſpecifico non deſignet. Reſp. negando ſuppoſitum illam orationem unquam ex ore Electoris Moguntini

Digitized by Google

ni profluxiſſe, cum nullibi appareat in formâ authenticâ, nec relatio Schleidani ſit Evangelica, imo poſito præfata verba ab illo eſſe prolata, inde tamen nihil eruitur, cum non ſint diſpoſitiva, ſed enunciativa, ac ita ſecundum alias Imperii ſanctiones ſint explicanda, ex quibus infertur, non Majeſtatem, ſed exercitium Jurium Majeſtaticorum tantum competere ſtatibus, & hoc cum in Galliâ ob deſpoticam gubernationem membris ejus non competat, in Germaniâ retinendum eſſe, perſuadere voluit. *Ad IIdum.* Reſp. quoque negando ſuppoſitum, quod cumulativè in Imperatorem transtulerint poteſtatem, aut ſint pares. quoad *primum* etenim aliud dictitat lex Regia, quæ nuspiam invenitur mutata. deinde ſi *cumulativè*, quare tam anxiè per capitulationes reſervant ſibi ſua privilegia & Jura conceſſa, quæ in hoc ſuppoſito absque eo aufferri non poſſent. quoad *ſecundum* ſi eſſent pares, ergo caſu quo Imperium in votando in duas abiret partes, & Imperator cum minoribus contradiceret, altera pars Imperii, ubi eſſent Majora prævaleret, uti fit in capitulis & aliis collegiis, atqui hoc non eſt, ergo. Imo ſi conſentientibus Statibus unicus Imperator contradicat, nihil eſt actum. *ſi inſtent adverſarii*, etiam Imperator in præ habito caſu nihil agere poteſt, ergo adhuc ſunt pares. Reſp. *N. Ant.* hic enim ſic non vult agere, quia uti apparet ex præfat. *Capit. Carol. VI.* liberè pactus eſt. At ſtatus Imperii (quod tamen in humillimâ veneratione, in quâ cum defenſione datorum ipſis Regiorum privilegiorum ad tumbam usque perſevero, dictum ſit) non poſſunt, licet ipſorum poteſtas nullibi per pactum fuerit impedita,

ta, cum enim per- & â ſe nullam habeant, eam limitare non fuit neceſſe, non entis enim, ut loquitur philoſophus, nullæ ſunt qualitates. *Ad 3.* Reſp. omnia ibi relata poſſident ex privilegio Imperatorio *arg. mox dictæ Capit. Carol. VI. art. 1.* una cum ſuperioritate territoriali debitâ tamen cum ſubordinatione ad Imperatorem conceſſa, ut ita quò major ſit dignitas data, eo ſublimiorem fore concedentis thronum neceſſe eſt, cum longè magis ſit dare, quàm accipere, idque per hoc certius confirmatur, dum Hic ad Illos utitur plurali, & DEI gratiâ, â quibus ſtatus ad Imperatorem abſtinent, licet ad ſuos uſurpent, propriè tamen nemini, niſi Soli Imperatori competit. BESNECK. *in Jur. publ. prud. p. 1. C. 1. §. 1. n. 3.* BESOLD. *in Syn. polit. lib. 1. c. 1. Ad 4.* Reſp. illa ibidem recenſita ardua & magnæ conſequentiæ negotia ſolus ſuſcipere non vult, quia congruum, ut illud quod omnes tangit, ac in omnium præjudicium evenire, vergereque poteſt, atque communibus per agi debet ſumptibus, ab omnibus approbetur quo circa nullatenus inferri poteſt, ac ſi Imperatoria poteſtas per hæc eſſet limitata, ſiquidem illam liberam modo habet per electionem, quod autem deinde puncta in Capitul. contenta ſe ſervaturum juret, liberè facit, adeoque ſibi tantùm actum ſecundum ſeu exercitium privativum, neutiquam verò poteſtatem in ſe ſeu in actu primo adimit. *Ad 5.* Reſp. cum Reink. quidquid alii contra illius ſolutionem obmurmurent, eſſe Adminiſtratorem, ſed impropriè talem, ſicuti Dominus rei propriæ eſt arbiter, cum non alieno nomine, & precariò gubernet, ſed ſuo, nam ſemel electus ab Ele-

C ctori-

ctoribus revocari, quod circa Adminiſtratorem propriè talem admittitur, aut deponi nequit, eoquod ipſi Electione peractâ ſuo functi ſint officio; nec ullibi in legibus fundamentalibus cautum, quod Imperatorem deponere poſſint, imo ſi unum aut alterum Capitulationis articulum non ſervaverit, amovere nequeunt ergo. vid. *Capitul. Carol. VI. art. 19. ibi:* geſtalten bey deſſen Hinterbleibung ihnen geſtattet seyn ſoll, ſolchen Mandatis keine Parition zu leiſten, non habetur illum Imperio exuendum eſſe. Proinde in cluſio unius, eſt excluſio alterius. *Si urgeant. 1.* Electus, ſi puncta in capitulatione propoſita ſervanda Jurare detrectet, recuſatur. Ergo poteſt deponi, *Reſp.* hoc ideo fit, q. Electus renuit coronam, Electionique de ſe factæ liberè renunciat, quod, in ipſius eſſe facultate, nullus negabit. *Si urgeant* 2. Imperatores HENRICVS IV. *Adolphus Naſſovius*, ac *Wenceslaus* piger ſunt exuti Regno. Ergo. Ab actu enim ad potentiam procedit argumentum. Reſp. 1. Non Exemplis, ſed legibus judicandum, cum non quid factum, ſed quid fieri debeat, ſpectandum. *L. 2. ff. de off. præſid.* Reſp. 2. Si prælaudati Imperatores quadrata rotundis, omnia ſusque deque vertere, ac vinculum Reipubl. Romano-Germanicæ rumpere, leges fundamentales violare, nec ſæpius admoniti Imperio ſuccurrere voluerint, cenſendi ſunt illud pro derelicto habuiſſe, cujus dare declaratoriam Electorum poteſtati relictum, nullo modo autem per privatoriam ex ſolio deturbare, ſceptrum coronamque auferre conceſſum. *Ad 5. R. 2.* ſi ex his verbis: Quod Imperator ſe nominet Adminiſtratorem, ſtatus Imperii præciſè ſit dijudi-

candus

candus nullum in orbe Chriſtiano Regnum Monarchicum erit, quod tamen adverſantes non concedent, cum in omnibus Regnis debeat adminiſtrare ſubditorum nomine, in illorum utilitatem agere, cum in hunc finem populus elegerit ſibi Regem, ut pro Regno ſit ſollicitus. *Ad 6. R.* Negativè, Judicium verò Cameræ non â ſtatibus, ſed ab Imperatore conſtituitur, ſic ſolus dat Judicem Cameræ ac Præſides ejusdem, indeque vocatur Judicium Cæſareæ Majeſtatis *R. I. de 1570. §. 50.* Dieweil dann. *Ord. Cam. 1500. pr.* vice illius judicat, cauſasque controverſas dirimit, ejus altiſſimo nomine auctoritate & Sigillo omnia mandata pœnalia, aliique proceſſus expediuntur, *Ord. Cam. 1555. part. 3. tit. 12. §. 5.* Und ſo ſolche. Quod verò ſtatus Imperii quosdam denominent Aſſeſſores, ex Cæſareo derivatur privilegio, & horum votum non eſt deciſivum, ſed conſultativum. *Ad 7. R.* Imperatori utique competere jus ſupremæ provocationis, licet quibusdam ex privilegio indulſerit, ne cauſarum controverſarum deciſio per appellationem ex ipſorum territoriis ad ſupremum perveniat tribunal, per hoc ipſius Juri non derogatur; nec adverſariorum opinioni patrocinatur, quod â Cameræ deciſionibus ob gravamen illatum ad ipſum non fiat provocatio, hoc enim non oritur ex defectu Juris, at ideo, quia Camera vicariâ in dijudicatione Controverſiarum utitur Imperatoris Jurisdictione, â vicario autem ad eum cujus eſt vicarius non datur appellatio, quam ob rem cum ipſâ in omnibus cauſis habet concurrentem Jurisdictionem, ſed non vice verſâ, hæc cum ipſo concurrit. *Ad 8. R.* Electorales ſunt cauſa in fieri & tranſi-

ens Conc. permanens & in facto eſſe; quaſi poſt electionem eſſent potiores nego. Nam peracto Electionis actu, quem ſecundum *A. B. C. 1. §. 21.* Suſcipere tenentur, functi ſunt ſuo officio, nec amplius poteſtatem in Imperatorem habent, cum, ut in Electionibus communiter fit, elegerint ſibi ſuperiorem. *Si propugnetur argumentum:* Cæſar tamen non Majori pollet poteſtate, quàm Electores contulerunt, atque hi limitatam contulêre ergo. *R. Conc. Maj. nego min.* Siquidem Electores obſtricti ſunt diſponente ſic *A. B. d. l.* eligendo eandem conferre poteſtatem, quam populus per legem Regiam in eum transtulit, in nullo enim textu fundamentali Illuſtriſſimo Electorali Collegio facultas eam limitandi conceſſa reperitur; deinde, ſi in Electione reſtrictam accepiſſet poteſtatem, fruſtraneæ eſſent capitulationes, cum ſic nihil amplius per has reſtringibile ſuper eſſet. per capitulationes verò ſubſequentes non limitatur ipſa poteſtas in actu primo, ſed exercitium in actu ſecundo, ut ſupra, nec modo coactivo, cum liberè paciſcatur, uti ſunt verba in prolegom. *Capit.* ſæpe dicti Glorioſiſſimè regnantis *Carol. VI.* Daß wir uns demnach aus freyen gnädigen Willen mit denenſelben ꝛc. Gedings- und Pacts-Weiß ꝛc. verglichen, illatio ex his per ſe patet. *Ad 9. denique R. 1.* ſtatus tenentur fidem præſtare Imperatori & Imperio, eodem modo N. diverſo Conc. nam *Illi* quà Domino ſuo clementiſſimo, *huic* verò ſine Imperatore, quà comparibus curiæ ſeu commembris, cum Jure feudali longobardico ſancitum ſit, quodſi Vaſallus prodat ſuum convaſallum incidat in crimen feloniæ, *2. f.*

17.

Digitized by Google

17. de jur. feud. c. 23. qu. 28. nunc verò Jus feudale longobardorum in noſtro Imperio Romano-Germanico obtinet, ergo. *Reſp. 2.* Hic denuò Adverſarii ſuam opinionem ſtabilire cupiunt in verbis absque intentione ſtatum decidendi prolatis, veluti plerumque faciunt, ſi in vocem, â longè pro ſtatu Ariſtocratico facientem, incidant, neſcio quàm plauſibile inde deducant argumentum; econtra autem, licet clariſſima pro Monarchiâ poſita verba in RR. I. habeantur, illa omni modo præterire, vilipendere, ſiniſtrè interpretari, in alium ſenſum detorquere conantur, aut ex politicâ germaniſſimi prolata inquiunt, cum tamen aliàs ſecundum Juriſtarum ſententiam verba magis in proprio, quàm in improprio ſenſu ſumantur *per l. 19. ff. de ll. Herm. Cap. 3. n. 31. in fin.* Sed ne nimiùm, nec infimus ego ſereniſſimis ſtatibus videar injurioſus, aut Aulæ Cæſareæ disgratiam ſecundum, HORN. *ad Jus feud. C. 8. §. 4. in fin.* in curram, vel cum REINK. & aliis pro Monarchiâ ſincerè facientibus ab *eod.* HORN. *cit. l.* riſu excipiar, abbrevio; attamen in conſequentiam præcedentium argumentorum, donec â fortioribus pro Ariſtocratiâ convincar, & aliter erudiar, ac hucusque in Collegiis Juris publici ex principiis theoreticis edoctus ſum, dico

§. V.

Auguſtiſſimum Imperatorem ſupremâ legislativæ Juridictionis authoritate in noſtro Imperio ex plenitudine poteſtatis gaudere, ita, ut leges Imperii quoad vim ſuam deciſivam & obligativam nullatenus ſub ratione legis â ſtatuum Authoritate dependeant, ſed ſoli *Fundamenta pro Imperatore leges univerſales privativè ferendi.*

 Cæ-

Digitized by Google

Cæſareæ Majeſtati tam in promulgatione, quàm ſubditorum obligatione adſcribantur. Quod probatur 1. omnibus ſupra relatis fundamentis, quibus evictum, ipſum ſupremum cuncta ex plenitudine poteſtatis agentem Monarcham Caput ac Dominum Imperii eſſe clementiſſimum. Ita etiam 2. tempore legis univerſalis ferendæ congregat ſtatus ad comitia, ipſi verò comparent ſubjectiſſimè *R. I. Spiræ 1542. §.* auf welchen *5.* ibi: gehorſamlich ankommen und erſchienen. 3. ſolus deliberationis capita ſive â ſe ſive â ſtatibus inſinuata propronit. 4. confert legis authoritatem, ſic enim ſonant formalia: ſetzet und ordnet von Röm. Kayſ. und Königs Macht, *R. I. Spiræ 1544. §.* als Wir aber *82. item R. I. Worm. 1564. §. 13. & Ratisb. 1541. §. 25. Inſt. pac. Caſ. Suec. art. 16. §. 2.* ubi quæ prius ut pacta publica valent, demum Imperatoris authoritate vim legis ſortiuntur. 5. Receſſibus apponitur Sigillum Cæſareum. 6. Solus ſubſcribit nomen ſuum. 7. Suo nomine publicari mandat, *R. I. Norimb. 1542. §. 24. ibi* ſetzen, ordnen aus Röm. Kayſ. und Königl. Macht und Vollkommenheit, non additur ex ſtatuum poteſtate. 8. præfigit publicationis terminum. 9. Datâ legi formâ facit executionem, ac in omnes Imperii ſtatus immediatos contra illam peccantes animadvertit *Capit. Carol. VI. art. 21.* 10. Status commiſſa ſibi univerſalis legis conſtitutione nomine & authoritate Imperatoris conſtituunt *R. I. Worm. 1521. §. 19. ibi* und alsdann dieſelbige conſtitution an unſer Statt und Nahmen aufrichten. Contra hæc *objiciunt* equidem Antagoniſtæ: Cæſar hodie legem univerſalem conditurus convocare co-

mitia

mitia, atque in his ſuffragia & conſenſum ſtatuum petere neceſſum habet. Ergo non fert ſolus. At facilis eſt reſponſio, nam conſenſus ita non requiritur, ac ſi etiam in iis quædam legum ferendarum reſideret poteſtas, ſed ideo, quia ex merâ benignitate liberè pactus eſt, deinde non requiritur ut cauſa efficiens, ſed tantum ut conditio ſine qua non. *Si cum Hippol. urgeant &c.* non propoſitionem, ſed concluſionem in legibus univerſalibus ferendis eſſe ſpectandam, Reſp. hoc maximè eſſe conſiderandum cujus auctoritate promulgeantur, atque ut ex ſupra dictis patet Imperatoris authoritate publicantur. Ergo. ipſi enim ſtatus ad nihil aliud requiruntur quàm ut tantum deliberent de materiâ legis ferendæ. *Si urgeant 2.* dicuntur tamen Receſſus non Imperatoris, ſed Imperii inibique enim habetur mit zeitigem Rath und Willen; *item anno 1512. §. II.* Darauf Wir ſamt denen Ständen geordnet. *Item tit. 3. §. 1.* durch Uns und die Stände ꝛc. ꝛc. Ergo, Reſp. 1. ibi Imperium ſumitur quatenus eſt conjunctum cum ſuo capite. Reſp. 2. eodem modo, N. diverſo C. nam Imperator ordinat ut legiſlator cum votis, & conſilio ſtatuum. *Si inſtent 3.* Imperator tenetur ſequi, nec poteſt aliter concludere quàm ſtatus volunt. Ergo non ſunt nudi conſiliarii, ſed gaudent ſimul poteſtate legiſlativâ. Reſp. 1. N. poteſt enim planè nihil ſtatuere. Reſp. 2. tenetur quia ſic liberè pactus eſt. vid. *ſupr. alleg. Capit. Carol. VI. in pr.* Hiſce, reliqua apparenter contra militantia argumenta in Cathedrâ reſoluturus, quia plura de hac materiâ addere & tempus & inſtituti mei ratio prohibent, pedem figo, & non tantum pro

ſum-

Digitized by Google

ſummâ Imperatoris Romano - Germanici poteſtate legislativâ, ſed etiam pro defenſione ſuperioritatis territorialis usque ad extremum vitæ ſpiritum conſecratus, me aliter ac huc usque doctus & convictus ſum, ſi fortioribus argumentis ac hactenus factum, fieri poſſit, erudiendum ac convincendum ſiſto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

F I N I S.

POSITIONES.

I.

Innocens ad liberationem Civitatis hoſti petenti extradi poteſt.

II. *Imperator in caſu neceſſitatis aut utilitatis absque ſtatibus, ſi res non ferat moram, concludere poteſt.*

III. *Judex illum, quem privatim certò ſcit innocentem condemnare non poteſt, licet publicè probetur nocens.*

IV. *Clericus coram Judice ſæculari reconveniri poteſt.*

V. *Filiusfam. de peculio advent. extraord. teſtari nequit.*

VI. *Pupillus ex contractu absque tutore inito nec naturaliter obligatur.*

VII. *Legitima non eſt Juris naturæ.*

VIII. *Poſſeſſio non eſt ſpecies Juris in re.*

IX. *Filiusfam. ſalvâ conſcientiâ utitur SCto Macedoniano.*

(o)

Digitized by Google